

XXXIII
AD ALBIVM TIBVLLVM
Asclepiadeo-Glyconicus

Albī, nē doleās plūs nimiō memor
Immītis Glycerae ; neu miserābilēs
Dēcantēs elegōs, cūr tibi iūnior
Laesā praeniteat fidē.

Īnsīgnem tenuī fronte Lycōrida
Cȳrī torret amor ; Cȳrus in asperam
Dēclīnat Pholoēn : sed prius Āpulīs
Iungentur capreae lupīs,

Quam turpī Pholoē peccet adulterō.
Sīc vīsum Venerī ; cuī placet imparēs
Fōrmās atque animōs sub iuga aēnea
Saevō mittere cum iocō.

Ipsum mē melior cum peteret Venus,
Grātā dētinuit compede Myrtalē
Lībertīna, fretīs ācrior Hadriae
Curvantis Calabrōs sinūs.